

# DE ARCA NOE MYSTICA.

## CAPITULA.

CAP. I. De arcæ descriptione per crucis figuram, et agnum in centro ejus stantem, et columnam in altum erectam, designatis tam crucis quam spatiorum ab ea derelictorum, et aliorum omnium coloribus ad mysticum sensum facientibus, cum ipsius arcæ longitudine, latitudine et profunditate seu altitudine mystice intellecta. — CAP. II. De columnæ in arcæ medio erectæ significatione mystica, de lignorum super eam erectione, de mansionibus inter quadraturas lignis infixas designatis. De columnæ supradictæ positione, et de omnium horum mysterio. — CAP. III. De zona, quæ per medium fundum secundum longitudinem a fine usque ad finem arcæ porrigitur, quomodo Ecclesiam figuret. — CAP. IV. De quadratura in fronte arcæ designante quatuor mundi partes per litteras nominis Adam scriptionem nominum suorum inchoantes, et de patriarcharum stemmatibus per nominum ipsorum descriptionem ab Adam usque ad Christum, et deinde de Novi Testamenti principibus, et subsecutis sanctis secundum dispositionem, et divisionem arcæ, et secundum mundi ætates. — CAP. V. De trina arcæ secundum longitudinem divisione, qua significantur homines legis naturalis, scriptæ et gratiæ. — CAP. VI. De trina arcæ secundum latitudinem divisione, qua supradicti homines significantur, et de trabibus ibidem positis. — CAP. VII. De inscriptionibus trium mansionum arcæ, et de distentione ejusdem arcæ secundum altitudinem et de XII scalis, quibus ad easdem ascenditur. — CAP. VIII. De supradictis scalis moraliter repetitio. — CAP. IX. De ascensionibus ad virtutes a frigore orientis. — CAP. X. De ascensionibus a calore, et frigore orientis. — CAP. XI. De ostio arcæ. — CAP. XII. Exeundi per cogitationem modi quatuor. — CAP. XIII. De sex mansiunculis arcæ ad litteram. — CAP. XIV. De mansionibus quadraginta duabus. — CAP. XV. De proprietate quatuor temporum anni et conclusione operis.

CAP. I. De arcæ igitur descriptione ut supra.

Primum ad mysticam arcæ Noë descriptionem, in planitie ubi arcam depingere volo, medium centrum quæro, et ibi fixo puncto parvam quadraturam æquilateram ad similitudinem illius cubiti, in quo consummata est arca, ei circumduco. Itemque illi quadraturæ aliam paulo majorem circumscribo. Ita ut id spatium, quod est inter exteriorem et interiorem quadraturam, quasi limbus cubiti esse videatur. Hoc facto in interiori quadratura crucem pingo, ita ut cornua ejus singula latera quadraturæ attingant, eamque auro superduco. Deinde spatia illa, quæ in superficie quadraturæ inter quatuor angulos crucis et quadraturæ remanent, colore vestio, duo superiora flammeo, et duo inferiora sapphirino. Ita ut medietas una cubiti in flammeo colore ignem, et altera medietas in sapphirino colore nubem representare videatur. Post hæc in limbo cubiti supra crucem scribo  $\alpha$ , quod est principium. Econtrario subiter crucem scribo  $\omega$ , quod est finis. Ad dextrum cornu crucis scribo  $\chi$ , quæ littera prima ponitur in nomine Christi, et significat Decalogum legis quæ antiquo populo primum quasi electo et justo ad dexteram collocato data est. Ad sinistrum autem cornu pono  $c$ , quæ est ultima in hoc nomine Christi, (7) et significat in centum perfectionem gratiæ, quæ data est gentilitati, quæ primum propter infidelitatem abjecta, et ad sinistram collocanda videbatur. Deinde spatium limbi circumquaque purpureo, et viridi colore induo, exterius purpureo, et interius viridi, et in medio crucis aureæ, quam feceram, agnum anniculum stantem pingo. Quo facto perfectus est cubitus. Cujus rei rationem si quæris, quid aliud hæc scriptura tibi dicere videtur, nisi quod principium et finis sit Christus lator Legis Veteris et Novæ? Et

A pictura quid tibi ostendit aliud, quam si diceret, iste cubitus eundem significat populum, quem columna ignis et nubis protegebat, quæ populum Israel in deserto præcedebat, illuminans per ignem et per nubem obumbrans. Et qui priori populo per ignem divinæ majestatis terribilis fuit puniendo peccata, et posteriori populo per nubem humanitatis mitis apparuit, condonando peccata qui pro peccatis hominum in cruce est immolatus quasi agnus mitis et non aperiens os suum, et pro justitia hominum resurgendo, et ascendendo super cælos est exaltatus. Qui undique ad se venientibus per purpuram sanguinis exemplum passionis suæ proponit, et in viridi colore imbecescibile præmium supernæ remunerationis. Vel in purpura, sanguinem passionis Christi sanctificat, et in viridi colore aquam, qua mundum olim judicavit. Vel in purpura damnationem malorum, quos juste reprobavit, in viridi colore liberationem bonorum, quos juste et misericorditer salvabit. Qui stat quia invitat, stat quia confortat, stat quia adjuvat, stat quia coronat, stat quia vigilat ut custodiat civitatem suam. Ita medio cubito consummato aliam quadraturam circa prædictum centrum longe extra circumduco, et tantæ magnitudinis, quantæ magnitudinis arcam facere volo, quæ quadratura sexies, tam longa sit quam lata, quia arca trecentos cubitos in longitudine habuit, quinquaginta in latitudine, hoc est sexies longa ad latitudinem. Ego tamen propter competentiore formam in pictura usque ad quadruplam fere longitudinem breviavi. Post hæc per mediam hanc quadraturam, id est per medium fundum arcæ, secundum longitudinem duabus lineis ductis tantæ latitudinis spatium includo, quantæ est interior quadratura medii cubiti. Similiter per mediam latitudinem, ab uno pariete

(7) Ductoris error.

usque ad alterum duabus lineis protensis ejusdem latitudinis spatium signo. Ita ut hi duo cinguli, quorum alter per mediam longitudinem, alter per mediam latitudinem protenditur, altrinsecus esse intersecante in modum crucis sub medio cubito convenient, et interiori latitudi ipsius respondeant, limbo ejus tantummodo hinc inde excedantur. Hoc ita peracto, spatia quæ inter medium centrum, vel potius medium cubitum, et singulos angulos arcæ interjacent, unumquodque in tria æqualia positis punctis divido, et apposita regula binis punctis coadjacentibus secundum longitudinem, et latitudinem de puncto semper ad punctum circumquaque lineam traho; et ita duas alias quadratas sexies similiter longas ad latitudinem suam efficio, quæ tali proportione a se distant, ut quantum prima vincit mediam, tantum media vincat tertiam. Inter quas tertia quadratura, quæ minima est, et secundum positionem plani infra alias clauditur, medium cubitum ambit, et duos supradictos cingulos, quorum alter longitudinem, alter latitudinem arcæ metitur, quadrifariam intercidit. Alterum sursum et deorsum. Alterum sinistrorsum et dextrorsum. Deinde secunda tertiam complectitur, et similiter supradictos cingulos intersecat. Deinde alia, quæ in plano extrema est, in alto autem ima, cæteras omnes includit, et quatuor extrema cornua duarum zonarum singulis lateribus, accingens, totas eas intra se comprehendit.

Hoc facto, si nosse cupis quomodo hæc figura formam arcæ repræsentet, intellige quod de illa zona, quæ per mediam latitudinem arcæ protenditur, fiat columna quadrata æquilatera in medio arcæ erecta, cujus altitudo tanto minor sit latitudine arcæ, quanto minor est ternarius quinario, quia altitudo arcæ erat triginta cubitorum, et latitudo quinquaginta. Si autem scire cupis qua ratione ex ipsa zona columnam fieri intelligendum sit, sic considera. Cubitus ille, qui nunc secundum positionem plani in medio ipsius zonæ affixus jacet sursum elevetur, sic ut ipsam zonam quasi per medium complicando secum sursum trahat, deinde ambæ medietates ejus deorsum pendentes plano ad planum invicem compingantur ut columna erecta videatur. In cujus summitate emineat cubitus ille, qui secundum positionem plani prius in medio ejus jacebat. Nihilque aliud esse intelligatur cubitus ipse, quam columnæ præcisio desuper, et limbus cubiti sit quædam ora sive eminentia facta desuper in capite columnæ ad excipienda tigna circumquaque ab imo surgentia, quæ ipsi columnæ infixæ sunt sub eadem eminentia, sub qua etiam summitas tecti consummata est, ad similitudinem imbricis summitatem tectorum excipientis. Et quamvis altitudo columnæ non videatur major esse medietate zonæ, cum facta sit ex ipsa duplicata intelligenda est tamen tanto major esse, quanto majora sunt triginta quam viginti quinque, sed hoc in plano repræsentari non potuit. Rursum cum medietas tantum zonæ altitudinem columnæ teneat, quare ambæ medie-

tates ejus depletæ sint, hæc est ratio.

CAP. II. *De columnæ in arcæ medio erectæ significatione mystica, de lignorum super eam erectione, de mansionibus inter quadraturas lignis infixas designatis, de columnæ supradictæ positione, et de omnium horum mysterio.*

Columna ista, quæ in medio arcæ erigitur, significat lignum vitæ, quod plantatum est in medio paradisi, id est Dominum Jesum Christum secundum formam humanitatis susceptæ in medio Ecclesiæ plantatum, qui Christus Deus et homo est. Et ideo latus columnæ, quod ad aquilonem respicit, humanitatem ejus significat, quam pro peccatoribus assumpsit; illud autem, quod ad austrum spectat, divinitatem ejus figurat, quæ mentes fidelium pascit. Et hæc est causa, quare in plano bis altitudinem depinximus, quoniam oportebat utriusque lateris superficiem repræsentari, quod nisi geminata figura fieri non potuit. Statuta igitur columna in medio arcæ, erigantur a singulis angulis tigna usque ad summitatem ipsius, eique sub eminentia extremæ oræ infigantur. Deinde duæ interiores quadraturæ sursum eleventur, quousque utraqûe secundum suam positionem tignis eisdem ex omni parte orthogonaliter jungatur extrema quadratura in imo remanente; et tunc videbis quomodo illud spatium, quod est inter primam quadraturam et secundam, pro prima mansionem computetur, quod est inter secundam et tertiam pro secunda et quod est inter tertiam et supremum cubitum pro tertia. Hoc facto completam habes formam arcæ subtus latam, et desuper angustam usque ad mensuram unius cubiti. Supradictæ autem columnæ positio talis est, ut a medio fundo arcæ surgat, et in omnibus mansionibus medium locum obtineat et totam portet fabricam. Cujus mysterium hoc est, columna Christus est, australe latus ejus (quod divinitatem ipsius significat) lignum vitæ vocatur, et ideo viridi colore super ductum est. Aquilonare vero latus (quod humanitatem ejus figurat) liber vitæ dicitur, et hoc sapphirino colore superductum est. Columnæ arca innititur, et Christo innititur Ecclesia sua, quia nimirum stare nullatenus posset, nisi ipse eam sustineret, secundum quod scriptum est in Canticis canticorum: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* (Cant. VIII). Rursum sicut columna singulorum mansionum altitudinem metitur, sic Christus uniuscujusque virtutem et profectum dispensat. Et sicut columna distinguit stationes, sic Christus pro arbitrio dignationis suæ in sancta Ecclesia dona gratiarum suarum distribuit, alios constituens prophetas, alios apostolos, alios vero evangelistas, et cæteros quoscunque spiritualium donorum participes. Et sicut columna medium ubique tenet locum, sic Dominus Jesus Christus dicit: *Ubicunque duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum* (Matth. XVIII). Si ergo tanta est infirmitas nostra,

ut ascendere non possimus in tertiam vel secundam mansionem, non tamen desperemus, sed congregemur in unum per fidem nominis ejus, et simus saltem in prima mansione, simus in unitate Ecclesiæ, teneamus rectam et inviolatam fidem, et ipse veniet ad nos, ut stet in medio nostrum congratulans bono incœpto nostro, paratus adjuvare et ad altiora erigere, ut sit unus in omnibus, unus inter omnes, unus præ omnibus Dominus Jesus Christus.

CAP. III. De zona quæ per medium fundum secundum longitudinem a fine usque ad finem arcæ porrigitur, quomodo Ecclesiam figuret.

Restat nunc ut ostendamus quid sibi vult zona altera, quæ per medium fundum secundum longitudinem a fine usque ad finem arcæ porrigitur. Si enim arca Ecclesiam significat, restat ut longitudo arcæ longitudinem figuret Ecclesiæ. Longitudo autem Ecclesiæ consideratur in diuturnitate temporum, sicut latitudo in multitudine populorum. Tunc enim Ecclesia dilatari dicitur, quando numerus credentium augetur, et multi ad fidem colliguntur. Longitudo autem ejus in prolixitate temporum consistit, qua de præteritis per præsentia ad futura se extendit. Tempus autem longitudinis ejus est ab initio mundi usque ad finem, quia sancta Ecclesia in fidelibus suis ab initio cœpit, et usque in finem sæculi durabit. Credimus enim nullum tempus esse ab initio mundi usque ad finem sæculi, in quo non inveniantur fideles Christi. Igitur zona ista, quæ protenditur a fine usque ad finem arcæ, designat cursum temporis ab initio mundi usque ad finem sæculi. Medietas autem ejus, quæ est superius a capite arcæ usque ad columnam, significat omne tempus ab initio mundi usque ad incarnationem Verbi; altera vero medietas, quæ est a columna deorsum, designat omne tempus ab incarnatione Verbi usque ad finem sæculi. Ideo in superiori medietate a capite arcæ usque ad columnam, scribitur linea carnalis generationis ab Adam usque ad Christum. In altera autem medietate a columna deorsum scribuntur nomina apostolorum a Petro, ac deinceps eo ordine, quo sibi in regimine Ecclesiæ quasi filii spirituales patribus successerunt. Quia enim ab Adam usque ad Christum vetus generatio fuit, quæ est secundum carnem, ideo cursus temporum in priori parte sæculi per carnalem generationem distinguitur. Quia vero in Christo nova generatio fuit, quæ est secundum spiritum, ideo cursus temporum in posteriori parte sæculi, id est post Christi adventum, per spiritalem generationem determinatur. Has autem generationes tali modo dispono: superiorem medietatem, quæ est a columna sursum, in tres partes æquales divido, et unaquæque tertia sexta pars est totius longitudinis.

CAP. IV. De quadratura in fronte arcæ designante quatuor mundi partes per litteras nominis Adam scriptionem nominum suorum inchoantes, et de patriarcharum stemmatibus per nominum ipsorum descriptionem ad Adam usque ad Christum; et deinde

A de Novi Testamenti principibus, et subsequendis sanctis secundum dispositionem et divisionem arcæ, et secundum mundi ætates.

Hac divisione facta incipio sursum a capite et primum nomen Adam taliter scribo. In ipsa fronte arcæ facio parvam quadraturam ad figurandas quatuor partes mundi, deinde superiori ejus lateri, id est orienti appono A, hoc est primam litteram nominis Adam. Inferiori autem lateri, id est occidenti, appono D, hoc est secundam. Dexterio lateri, id est aquiloni, appono A, id est tertiam. Sinistro lateri, id est australi, appono M, id est quartam litteram. In Græco autem singulæ partes mundi ab his litteris incipiunt. Anatole, ανατολη id est oriens, incipit ab α, et ideo orienti appositum est A; Dysis Δύσις id est occidens, incipit α, δ, et ideo occidenti appositum est D; Arctos, ἄρκτος id est septentrio, incipit ab α, et ideo septentrioni apponitur rursus A; Mesembria, μεσημβρία id est meridies sive auster, incipitur ab η, et ideo australi lateri apponitur M. Cujus rei rationem quidam talem tradunt: Dicunt enim quod recte primus parens a quatuor partibus mundi nominis sui elementa contraxit, qui per omnes partes mundi in prole sua diffundendus fuit. Post Adam secundum lineam generationis scribuntur Seth, Enos, Cainam, Malaleel, Jaret, Henoch, Mathusalem, Lamech, Noe, Sem, Arphaxat, Sale, Heber, Phalech, Reu, Saruch, Nachor, Thare, Abraham, Isaac et Jacob; et hi in prima parte collocantur.

In secunda parte primo scribo Judam, et circa ipsum reliquos patriarchas hinc inde a dextris et a sinistris hoc modo dispono: Incipiens a dextro pariete secundum ordinem generationis, Ruben, quia primogenitus fuit, primum scribo; deinde Simeon, deinde Levi. Et hi a dextris Judæ collocantur; hi quatuor filii Liæ fuerunt. A sinistris Judæ similiter secundum ordinem generationis primum scribitur Dan, deinde Nephtalin, hi filii Balæ ancilæ Rachelis. Post Nephtalin ponitur Gad, deinde Aser, hi filii Zelphæ ancilæ Liæ. Deinde Issachar, deinde Zabulon, hi rursus filii Liæ: deinde novissime Joseph, et post eum Benjamin, hi filii Rachel. Post hæc singulis nominibus suas imagines superpono semiplenas, a pectore sursum, quales nonnunquam in tabulis solent figurari, quas Græci frequentiori Iconas εικόναι vocant, ut sic duodecim patriarchæ secundum latitudinem per transversum in stationibus suis ordinati appareant, quasi quidam senatus Dei civitatis. Deinde reversus ad lineam generationis post Judam pono Phares, Ephrom, Aram, Aminadab, Naasson, Salmon, Booz, Obeth, Isai, David, Salomon, Roboam, Abia, Asa, Josaphat, Joram, Aazias, Joas, Amazias, Ozias, Joathan, Achas. Et hi sunt in secunda parte.

Deinde in tertia parte secundum ordinem ponuntur Ezechias, Manasses, Amon, Josius, Eliachim, Joachim, Salathiel, Zorobabel, Abiud, Eliachim, Azor, Sadoch, Achin, Eliud, Eleazar, Mathan, Jacob, Joseph. Inter Joseph autem et columnam

scribo, hucusque primus Adam secundum carnem. Post hæc reliquam medietatem, quæ est a columna deorsum, similiter in tres partes æquales divido, has autem ternas partes supra, et ternas infra, designant latera mansionum, ubi intersecant ipsam zonam secundum positionem plani. Igitur facta hac divisione, post columnam primum in ipsa linea Petrum, et circa ipsum a dextris et a sinistris reliquos apostolos, cum suis iconibus, sex a dextris et a sinistris quinque, ut ex una parte columnæ duodecim patriarchæ, et ex altera parte duodecim apostoli sint constituti ad similitudinem viginti quatuor seniorum in Apocalypsi in circuitu throni sedentium. Et sicut duodecim patriarchæ superius latitudinem arcæ continent (quia ab eis antiquus ille populus scriptæ legis universus secundum carnem descendit), ita duodecim apostoli inferius, quia ab eis omnis populus novæ legis, id est gratiæ, per fidem spiritualiter propagatus est. Deinde post Petrum sequitur: Clemens, Anacletus, Evaristus, Alexander, Sixtus, Thelesphorus, Iginus, Pius, Anicetus, Soter, Eleuterius, Victor, Zepherinus, Calistus, Urbanus, Pontianus, Antherus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus, Dionysius, Felix, Euthicianus, Gaius, Marcellinus, Marcellus, Eusebius, Melchiades, Sylvester, Marcus, Julius, Liberius, Felix, Damasus, Siricius, Anastasius, Innocentius, Zozimus, Bonifacius, Coelestinus, Sixtus, Leo, Hilarius, Simplicius, Felix, Gelasius, Anastasius, Simmaclus, Hormisda, Joannes, Felix, Bonifacius, Joannes, Agapitus, Silverius, Vigilus, Pelagius, Joannes, Benedictus, Pelagius, Gregorius, Sabinianus, Bonifacius, Deusdedit, Bonifacius, Honorius, Severinus, Joannes, Theodorus, Martinus, Eugenius, Vitalianus, Adeodatus, Bonus, Agatho, Leo, Benedictus, Joannes, Conon, Sergius, Joannes, Joannes, Sisinius, Constantinus, Gregorius, Gregorius, Zacharias, Stephanus, Paulus, Stephanus, Adrianus, Leo, Stephanus, Paschalis, Eugenius, Valentinus, Gregorius, Leo, Sergius, Benedictus, Nicolaus, Adrianus, Joannes, Joannes, Martinus, Adrianus, Stephanus, Formosus, Bonifacius, Stephanus, Romanus, Theodorus, Joannes, Benedictus, Leo, Christophorus, Sergius, Anastasius, Lando, Joannes, Leo, Stephanus, Joannes, Leo, Stephanus, Marinus, Agapitus, Joannes, Benedictus, Leo, Joannes, Benedictus, Domnus, Bonifacius, Benedictus, Joannes, Joannes, Joannes, Gregorius, Joannes, Sylvester, Joannes, Joannes, Sergius, Benedictus, Joannes, Benedictus, Sylvester, Gregorius, Clemens, Damasus, Leo, Victor, Stephanus, Benedictus, Nicolaus, Alexandrinus, Gregorius, Victor, Urbanus, Paschalis, Gelasius, Galistus, Honorius. Et quod super est spatium usque ad fidem arcæ illos capiet, qui post nos futuri sunt, usque ad finem sæculi. Ab Adam usque ad diluvium prima ætas sæculi continens annos 1656. Secunda ætas a diluvio usque ad Abraham continens annos 292. Tertia ab Abraham usque ad David habens annos 942. Quarta a David usque ad transmigrationem continens annos 475.

A Quinta a transmigratione usque ad adventum Christi habens annos 585. Sexta ætas, quæ nunc agitur, nulla annorum serie certa, sed ut ætas decrepita ipsa morte totius sæculi consumenda. Has ærumnosas, plenasque laboribus mundi ætates quicumque felici morte vicerunt, septima jam Sabbati perennis ætate suscepti, octavam beatæ resurrectionis ætatem, in qua cum Domino perenniter regnabunt, exspectant.

CAP. V. *Iterum de trina arcæ divisione secundum longitudinem, qua significantur homines legis naturalis, scriptæ et gratiæ.*

Post hæc arcam in tres partes divido, et primam partem, quæ est ab initio usque ad duodecim patriarchas, tempus naturalis legis accipio. B Secundam, quæ est a duodecim patriarchis usque ad columnam, id est usque ad incarnationem Verbi, tempus scriptæ legis. Tertiam, quæ est a columna deorsum, id est ab incarnatione Verbi usque ad finem sæculi, tempus gratiæ. Et secundum has divisiones ipsa etiam latera arcæ utrinque distinguo. Deinde in utroque latere per singulas divisiones ternos colorum tractus duco, ut velut trabes quædam in longum porrectæ lateraliter jungatur data singulis congrua latitudine. Nam exterior quasi foris apparens latior cæteris esse debet. Post hunc interior medius quasi inter duos coarctatus minimum latitudinis habebit. Horum positio sic variatur, ut ille, qui in prima parte exterior est, in secunda sit medius, et qui in prima parte medius est, in secunda sit interior, C et qui in prima parte est interior, in secunda sit exterior. Rursus qui in secunda parte exterior est, in tertia sit medius, et qui in secunda est medius, in tertia sit interior, et qui in secunda est interior, in tertia sit exterior. Cujus rei mysterium hoc est: Tres colores isti significant tres maneries hominum, id est homines naturalis legis, homines scriptæ legis, homines gratiæ. Nam sicut tria tempora sunt, id est tempus naturalis legis, tempus scriptæ legis, et tempus gratiæ, ita tres sunt maneries hominum, id est homines naturalis legis, homines scriptæ legis, homines gratiæ. Homines naturalis legis pertinent ad tempus naturalis legis. Similiter homines scriptæ legis pertinent ad tempus scriptæ legis et homines gratiæ ad tempus gratiæ. D Et tamen si diligenter attendimus, in singulis his temporibus omnes istas maneries hominum invenimus. Verbi gratia: In tempore naturalis legis, et similiter homines scriptæ legis, et homines gratiæ tunc erant, sed homines naturalis legis tunc erant in proprio, homines scriptæ legis et homines gratiæ, quasi in alieno. Tempus enim naturalis legis proprie pertinet ad homines naturalis legis, quia illi tunc et numero plures, et conversatione manifestiores, et statu excellentiores erant. Homines autem scriptæ legis et homines gratiæ adhuc erant et numero pauci, et conversatione occulti exstiterant. Similiter de tempore scriptæ legis, et tempore gratiæ sciendum. Exponamus igitur nunc, qui dicantur homines naturalis legis, scriptæ legis et gratiæ, ut quod de his

dicimus ex proposita distinctione singulorum facilius colligamus. Natura tribus modis in sacra Scriptura accipi solet, pro illo scilicet integro et incorrupto bono, in quo conditus fuit primus homo, secundum quam acceptionem dicimus omnia naturaliter esse bona. Deinde pro illa corruptione peccati, in qua nascitur, secundum quam, dicit Apostolus: *Natura fitii iræ sumus (Ephes. II)*, id est corruptibili nativitate et peccato obnoxia. Accipitur etiam natura pro reliquiis illis naturalis boni, quæ in homine post peccatum remanserunt. Naturale enim bonam per peccatum in homine corrumpi potuit, exstingui omnino non potuit, quia vivit adhuc scintilla quædam naturalis rationis in mente hominis, per quam discernit inter bonum et malum, secundum quam dicit Apostolus: *Cum enim gentes, quæ non habent legem, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex (Rom. II)*. Igitur homines naturalis legis sunt qui, aliam legem non habentes, per naturalem rationem mores et vitam suam instituunt. Vel homines naturalis legis sunt, qui secundum corruptionem peccati, cum qua nati sunt, in concupiscentia ambulant post desideria carnis suæ: homines vero scriptæ legis sunt, in quibus major viget cognitio, qui ex traditionibus Scripturarum, et ex præceptis, quæ recta et honesta sunt, formam vivendi accipiunt. Homines autem gratiæ dicuntur, *in quorum cordibus diffusa est charitas per Spiritum sanctum, qui datus est eis (Rom. V)*, per quem illuminantur, ut quid agendum sit agnoscant et adjuvantur, ut adimplere valeant bonum, quod intelligere meruerunt. Ex his colligere possumus, qualiter in tempore legis omnes istæ tres maneries hominum fuerint. Erant enim homines tunc justis pauci quidem, et pene adhuc mundo incogniti, quos Deus per Spiritum sanctum ad amorem sui accenderat, quibus etiam sæpe visibiliter apparens, et mutuis se colloquutionibus familiarem præstans viam veritatis, et loquendo foris, et intus aspirando patefecit. Isti homines gratiæ erant. Erat rursus aliud genus hominum, qui justos istos familiariter noverunt, vel ex affinitate generis vel ex propinquitate conversationis, qui cum ex dictis eorum, et factis multa exempla ad justitiam et disciplinam morum pertinentia didicissent, non ad virtutem, sed ad quamdam vitæ hujus honestatem eos imitati sunt. Tales erant omnes religiosorum virorum mali filii, vel affines, sive etiam quicumque familiares, qui disciplinam eorum non per amorem, sed per quamdam vivendi consuetudinem tenuerunt, et ejusmodi quasi homines scriptæ legis erant. Reliqua humani generis multitudo nec præceptionibus divinis, nec humanis institutionibus regebatur, sed erat lex unicuique sua voluntas, et dum impunelicuit quidquid placuisset, hoc potissimum quisque sequebatur, quo cum naturalis motus, sive carnis ad concupiscentiam, sive rationis ad quamdam formam justitiæ impellebat. Et ideo non immerito isti homines naturalis legis appellantur,

A qui tantum regebantur naturali motu sive concupiscentiæ, sive rationis. Concupiscentia autem, sicut supra narratum, est, ideo naturalis dicitur, quia in illa concipitur, et cum illa nascitur homo. Ratio vero ideo naturalis appellatur, quia illam ex prima adhuc conditione retinet homo. Illa igitur naturalis est conditione, ista nativitate. Illa naturalis est, quia eam cum primum conderemur accepimus; ista naturalis, quia illam cum nasceremur in hanc vitam nobiscum et in nobis apportavimus. Tales homines habebant prima tempora sæculi, quando lex non erat, quæ peccata puniret, et libere peccabant homines, nec abscondebant peccata sua, quibusdam peccata prorsus esse non credentibus, aliis autem peccata quidem agnoscentibus, sed levia, et facili piaculo solvenda existentibus. Sed postquam lex subintravit et ostendit hominibus peccata sua, simulque arguit, prohibuit, pœnam indixit, cœperunt homines abscondere peccata sua, et quædam opera virtutum foris exhibere, non ut implerent justitiam, sed ut vitarent pœnam, sicque multiplicati sunt homines scriptæ legis. Homines vero paucissimi naturalis legis effecti sunt; homines vero gratiæ aliquanto manifestiores esse cœperunt, quam prius fuerant, quia lex bona, per hoc quod homines ad justitiam invitavit, justorum vitam clariorem reddidit. Adveniente autem gratia (postquam rigor legis in misericordiam mutatus est), rursus multiplicantur homines naturalis legis, dum jam palam sectantur vitia sua, qui prius timore pœnæ coerciti latuerunt, homines vero scriptæ legis minuuntur. Tamen hoc tempus ideo tempus gratiæ appellatur, quoniam nunc homines gratiæ, quamvis non sint numero plures, tamen sunt statu excellentiores, quia veritas a paucis quidem tenetur, sed ab omnibus fere cognoscitur, et communi omnium iudicio antefertur. Et jam palam est quod « homo non ex operibus legis, sicut olim existimabatur, sed ex gratia Dei justificatur. » Cujuscunque igitur temporis homines naturalis legis sunt aperte mali, homines autem scriptæ legis fidei boni, homines vero gratiæ vere boni. Homines naturalis legis partim sunt extra Ecclesiam, sicut infideles quique, partim in Ecclesia, sicut ii qui solam fidem habent absque operibus, sed nullo modo de Ecclesia sunt, quia boni non sunt. Homines scriptæ legis tantummodo in Ecclesia sunt, quia fidem habent, sed de Ecclesia non sunt, quia boni non sunt. Soli autem homines gratiæ in Ecclesia sunt, et de Ecclesia sunt, quia et fidem habent, et boni sunt. Hoc significare volunt illi tres tractus colorum, quos in lateribus arcæ ordinavimus, viridis, croceus, purpureus. Viridis color, qui in tempore naturalis legis forinsecus jacet, significat homines naturalis legis, qui tunc manifestiores erant, qui in compositione arcæ est, sed arcæ similis non est, sed foris cum terra similitudinem habet. Arca enim, quæ in superficie intrinsecus secundum diversitatem mansionum variis coloribus vestita est, in ea tantum parte ubi homines naturalis legis interiorius collocantur viridi colore obducitur.

debet, neque croceo ubi homines scriptæ legis intrinsecus sunt, sed ubi homines gratiæ interiorum ponuntur, purpureum oportet ut habeat colorem, quatenus hic solum similitudo utrinque respondeat interiorum, quemadmodum hominibus naturalis legis superficies terræ per colorem viridem concordat intrinsecus. Croceus vero color in tempore naturalis legis intrinsecus collocatus est, quia significat homines scriptæ legis, qui secundum prophetæ sententiam *nutriebantur in croceis* (*Thren. iv*), qui tunc occulti erant, et hic in arca quidem situs est, sed nec arcæ, nec terræ similis est, quia fidei boni nec per opera foris infidelibus, nec per virtutem intus fidelibus similes sunt. Purpureus autem color in tempore naturalis legis quasi coarctatus in medio utrorumque jacet, quia propter regium decus significat homines gratiæ, qui tunc occultissimi erant. Qui color in arca est et positione et similitudine, quia homines gratiæ et fidem habendo in ecclesia sunt, et virtutem habendo boni sunt. Positio istorum colorum in cæteris temporibus secundum quod significatio postulat variatur. Item homines naturalis legis sunt, qui solam fidem habent mortuam sine operibus. Homines scriptæ legis sunt qui fidem habent et opera fidei, sed charitatem non habent. Soli autem homines gratiæ fidem habent operantem ex dilectione.

CAP. VI. *De trina arcæ secundum latitudinem divisione, qua supradicti homines significantur, et de trabibus ibidem positis.*

Dehinc ad latitudinem manum verto et incipiens sursum a dextro cornu usque ad lineam generationis geminas trabes porrigo, et ab inde sursum, id est a linea generationis usque ad sinistrum cornu, similiter duas signo, easdem quidem sed transpositas. Deinde vero a dextro cornu in sinistrum continuo ductu sine transpositione duas ibidem trabes protendo. Hoc modo lateribus secundum longitudinem et latitudinem compositis inscriptiones eorum taliter distinguo : In dextro latere a fine usque ad finem scribo, trecentorum cubitorum erat longitudo ejus. Econtrario in sinistrolatere in parte prima pono tempus naturalis legis, in secunda tempus scriptæ legis, in tertia tempus gratiæ, ut quasi primus centenarius sit tempus naturalis legis secundus tempus scriptæ legis, tertius tempus gratiæ. In superiori parte a dextro latere usque ad sinistrum scribo, quinquaginta cubitorum latitudo ejus. Econtrario in inferiori latere quasi expositionem hujus tituli scribo, universitas fidelium sub uno capite Christo. In superiori quoque cornu super capita duarum trabium, quæ in longitudinem vadunt, pono mons Sion, in sinistro, latera aquilonis, subtus contra medium, civitas Regis magni. Dextræ namque trabes geminæ significant montem Sion, hoc est populum Judæorum introque sexu; et sinistræ latera aquilonis, hoc est populum gentium similiter in utroque sexu ad fidem concurrentium; et unam civitatem Dei, hoc est Ecclesiam, ex utroque facientem. Propterea in superiori latere

A et transpositio trabium et divisio titulorum facta est, inferius autem et ductus unus, et titulus unus, quia hi duo populi in seipsis divisi fuerant, in fide postmodum Christi unum facti sunt. Deinde in dextro cornu superius capitibus trium trabium, quæ in longitudinem porriguntur, per transversum superscribo homines, postea in sinistro cornu quasi hujus tituli determinationem, exteriori quidem trabi in capite ascribo naturæ, interiori autem suppono legis, mediæ vero gratiæ; hoc significare volens quod istæ tres trabes utrinque positæ significant homines naturalis legis, scriptæ legis et gratiæ, de quibus superius locuti sumus.

CAP. VII. *De inscriptionibus trium mansionum arcæ, et de distinctione ejusdem, quæ secundum altitudinem est, et de duodecim scalis, quibus ad easdem ascenditur.*

Inscriptiones mansionum tales sunt : in dextro latere primæ mansioni inscribitur fides, secundæ mansioni spes, tertiæ mansioni charitas. In sinistrolatere primæ mansioni inscribitur scientia, secundæ mansioni inscribitur disciplina, tertiæ bonitas. In superiori latere primæ mansioni inscribitur natura, secundæ lex, tertiæ gratia. In inferiori latere primæ mansioni inscribitur recta secundæ utilis, tertiæ necessaria. Quatenus hæc ultima dispositio supradictis singulis respondeat sic habe, recta fides, utilis spes, necessaria charitas. Item recta scientia, utilis disciplina, necessaria bonitas. Item recta natura, utilis lex, necessaria gratia. Sunt aliæ differentiæ adhuc, quibus altitudo arcæ distinguatur. Prima mansio sunt conjugali, secunda continentibus, tertia virgines. Vel ita : Prima mansio utentes mundo, secunda fugientes mundum, tertia obliti mundum. Vel ita : Prima mansio sunt repentina, secunda ambulancia, tertia volantia. Item per singulos angulos ascendentibus a rigore orientis, id est a superbia, prima mansio est timor, secunda est dolor, tertia est amor. Ascendentibus a colore occidentis, id est a concupiscentia carnis prima mansio est patientia, secunda misericordia, tertia compunctio. Ascendentibus a frigore occidentis, id est ab ignorantia, prima mansio est cognitio, secunda est meditatio, tertia est contemplatio. Ascendentibus a calore orientis, id est a spiritus fervore, prima mansio est temperantia, secunda prudentia, tertia est fortitudo. Ideo per quatuor angulos arcæ erectæ sunt sursum duodecim scalæ, per singulos angelos tres, in unaquaque mansionem quatuor, in singulis angulis singulæ; et unaquæque scala decem passibus distinguitur, qui simul sunt centum viginti, id est sexaginta et sexaginta. Per quos ascendunt ad supremum cubitum quasi ad Deum viri et mulieres sexaginta et sexaginta, alternatim per singulas scalas quasi sexaginta fortes qui *ambiunt lectulum Salomonis* (*Cant. III*), et *sexaginta reginæ* (*Cant. VI*), quæ scandunt ad amplexum Salomonis; per duodecim scalas, id est per apostolicam doctrinam, per decem tramites, id est per decem præcepta legis, a quatuor angulis mundi fide Trinitatis imbudi et

doctrina evangelica.

A frigore orientis sursum scripti sunt triginta libri divinæ paginæ per ordinem in singulis mansionibus decem, hoc est ad singulos passus singuli in latere scalarum deforis ordinati, et unusquisque librorum exterius tribus gradibus distinguitur, propter triplicem intelligentiam, id est historiam, allegoriam, tropologiam. Ex altera parte scalarum ab eodem angulo sursum scribitur ad primam quidem scalam : Hic ascendunt timentes gehennam, vocante Isaia et dicente : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur (Isa. LXVI)*. Ideo autem hoc de Isaia dicitur, quia iste in ista scala supremus librorum est, cujus finis talis est. Et hic versus extrinsecus per singulos passus, tribus gradibus distinguitur propter tria, quæ in Ezechiele dicuntur, quæ sunt lamentatio, carmen et vœ. Lamentatio pertinet ad præsentem miseriam, carnem ad futuram gloriam, vœ ad gehennam. Et oportet ut qui per timorem proficiunt, non solum gehennam timeant, sed et de præsentem miseria doleant, et futuram gloriam diligant. Sed tamen in hac scala timor principalis est. In secunda scala scribitur sic : Hic ascendunt lugentes præsentis vitæ exsilium, propter vasa domus Domini, quæ captiva ducuntur in Babylonem. Hoc ideo dicitur, quia in fine libri Paralipomenon (qui in illa scala est supremus) hoc narratur. Et hic versus similiter per singulos passus tribus gradibus distinguitur, propter supradicta tria, sed hic dolor est principalis. In tertia scala sic scribitur : Hic ascendunt suspirantes ad patriam, suspensi ad reditum Sponsi, et dicentes : *Veni, Domine Jesu Christe (Apoc. xx)*. Item a frigore occidentis sursum scribuntur libri idem triginta, scilicet qui in priori angulo dispositi sunt, per singulas mansiones decem, quatenus hi duo anguli ordine librorum distincti respondeant Aquilonari lateri columnæ, quod liber vitæ appellatum est. De cujus rei mysterio postea latius tractabimus. Et sicut supra factum est, ita hic quoque singulos libros ternis gradibus secundum ascensum distinguimus. Ex altera vero parte scalarum ab eodem angulo sursum scribo ad primam scalam sic : Hic ascendunt hi qui per ignorantiam primam cognitionem Dei in creaturis accipiunt, docente Scriptura et dicente : *In principio fecit Deus cælum et terram (Gen. 1)*. Quia Genesis in hac scala primus liber est. Hic versus autem ab imo sursum distinguitur tribus gradibus, quod significat tria in operibus Dei admiranda, videlicet immensitatem, pulchritudinem, utilitatem. Immensitas ad potentiam, pulchritudo ad sapientiam, utilitas ad benignitatem pertinet. Quæ si quis plenius nosse voluerit, inspiciat tractatum, quem fecimus, cui titulus est de tribus diebus. In secunda scala sic scribitur : Hic ascendunt ii qui ad institutionem recte vivendi meditationi divinæ legis invigilant, audientes Scripturam dicentem : *Ego constitui te ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes et ædifices, et plantes (Jerem. 1)*. Hoc in Jeremia invenitur, qui primus in hac scala

A est. Hic autem versus foris duobus gradibus distinguitur, propter duo quæ necessaria sunt ad recte vivendum, quæ Psalmista commemorat, dicens : *Declina a malo, et fac bonum (Psal. xxxvi)*. In tertia scala sic scribitur : Hic ascendunt ii qui interiori oculo emundato internæ visionis lumen contemplari sitiunt, quasi de Babylone ascendentes ad Jerusalem (*I Esdr. iv*). Quod scilicet in Esdra legitur, qui primus in hac scala est. Hic autem versus distinctionem non habet, sed unus ductus coloris ab imo sursum trahitur, quia contemplatio uniformis est, et simplex.

Item a calore occidentis ab imo sursum ex uno latere scalarum trium, uno ductu hic versus scribitur : Hic ascendunt ii qui ab æstu vitiorum ad lignum vitæ refugiunt, et sub foliis ejus quasi sub umbraculo meridiano a fervore se abscondunt (*Eccli. xxxiv*). Hic autem versus foris ab imo sursum distinguitur septuaginta septem gradibus, id est per singulas scalas viginti sex uno minus. Isti autem gradus significant, quod in Evangelio de remissione peccatorum dicitur : *Septuagies septies (Matth. xviii)*. Septem enim universitatem significare solent illius rei, cui apponuntur. Undecim vero transgressionem. Septuaginta septem ergo universam transgressionem significant, quæ hic ascendentibus relaxatur. In altero autem latere primæ scalæ scribitur : Hic ascendunt ii qui per abstinentiam et afflictionem mortificant membra sua, quæ sunt super terram, cum vitiis et concupiscentiis (*Coloss. iii*). Et hic versus quadraginta gradibus distinguitur, qui numerus abstinentiæ signum est. In secunda scala scribitur : Hic ascendunt ii qui *eleemosynis*, et cæteris misericordiæ operibus priora peccata redimunt (*Dan. iv*). Et iste versus quadraginta sex gradibus distinguitur, quia eleemosyna abstinentiæ juncta, quasi sex cum quadraginta, perfectum opus facit. In tertia scala sic scribitur. Hic ascendunt hi qui contriti cordis et spiritus contribulati jure sacrificium Deo in odorem suavitatis offerunt (*Psal. l*). Et hic versus quinquaginta gradibus distinguitur, qui numerus signum est remissionis et libertatis, quia ex quo homo hæc tria exercet, id est abstinentiam, eleemosynam, compunctionem, statim absolutionem peccatorum suorum, et sancti Spiritus consolationem in primordia veræ libertatis inveniet. A calore orientis, qui est ultimus angulus revertentibus, et discedentibus primus, ab imo sursum uno tractu scribitur? Hic ascendunt ii qui non jam de malo ad bonum transeunt, sed de bono in melius proficiunt, quos lignum vitæ fructu suo pascit et provehit. Hic versus in prima scala triginta gradibus distinguitur propter primum ordinem fidelium, qui sunt in Ecclesia sancta, qui sunt conjugati, qui in Evangelio triceno fructu significantur. In secunda scala distinctio fit sexaginta graduum, qui numerus ad continentes pertinet. In tertia centum, qui numerus ad virgines pertinet, quibus nihil altius, quia cœlibem et cœlestem vitam ducunt. In altero autem primæ scalæ latere ascriptus est hic versus : *Hic ascendunt*

licite utentes mundo quasi reptilia in arca, et filii Israel in campo edentes, et bibentes, et videntes a longe gloriam Dei. Hic versus quinque et semis gradibus distinguitur propter bonam operationem minus perfectam, cujus perfectio in pleno senario significatur, quam necdum isti apprehendere possunt. In secunda scala scribitur: Hic ascendent obliviscentes et fugientes mundum quasi quadrupedia jam ambulancia in arca, et Aaron cum senioribus filiorum Israel in ascensu montis. Hic autem versus sex gradibus distinguitur propter perfectionem operis, ad quam isti jam promoti sunt. In tertia scala sic scribitur: Hic ascendent obliti mundum quasi volatilia in arca, et Moyses solus super verticem montis in nube cum Domino, hic autem versus septem gradibus distinguitur, quia tales cum perfectione operis habent et requiem mentis. Sciendum autem quod isti gradus forinsecus semper versibus ascribendi sunt, ut inter gradus et scalas versus ipsi sursum protendantur, et variis coloribus distinguendi. Nos ad significandam historiam viridem colorem posuimus, ad tropologiam croceum, ad allegoriam cæruleum.

CAP. VIII. *De supradictis scalis moralis repetitio.*

Nunc revertamur ad scalarum allegoriam. Ascendentibus a frigore orientis prima scala est timor, secunda dolor, tertia amor. Ascendentibus a frigore occidentis, prima scala est cognitio, secunda meditatio, tertia contemplatio. Ascendentibus a calore occidentis, prima scala est patientia, secunda misericordia, tertia conpunctio. Et istæ tres scalæ justitiam perficiunt. In quarta scala sequuntur reliquæ tres quaternarum virtutum. Ascendentibus autem a calore orientis prima scala est temperantia, secunda prudentia, tertia fortitudo. Sunt etiam singulæ virtutes istæ in suis locis depictæ. Quatuor angulos respondere facimus quatuor partibus mundi, a quibus colliguntur ii qui ad præmium supernæ remunerationis ascendunt, electi Dei, a calore orientis, a frigore orientis, a calore occidentis, a frigore occidentis. Calor orientis est fervor spiritualis, frigus orientis est timor superbiæ. Calor occidentis concupiscentia carnis, frigus occidentis, cæcitas ignorantia. In calore orientis creatus fuit primus homo, postea superbiendo transivit ad frigus orientis quasi ad Aquilonem ad consortium diaboli. Deinde per concupiscentiam carnis cecidit ad calorem occidentis, et per ignorantiam ad frigus occidentis. Sicque per quatuor partes mundi diffusus est et dissipatus. Cum autem colligitur et revocatur, primum de quatuor partibus mundi ad arcam, id est Ecclesiam, accedit, et inde sursum ascendens paulatim se in unum colligit, quousque ad summum perveniat. Ubi autem primum cecidit, ibi primum ascendit, id est in frigore orientis, et ibi calcatur caput serpentis, id est superbiam. Postea ascendit a calore occidentis, et ibi calcatur ventrem serpentis, id est concupiscentiam. Postea ascendit a frigore occidentis, et ibi calcatur pectus serpentis, id est ignorantiam. Postea

A revertitur ad calorem orientis, ubi creatus fuit, et inde ascendens totum serpentem complicatum deorsum premit, ita ut in singulis scalis qui ultimus est, ascendentium serpentem pede utrumque stipitem scalæ amplexum sic calcare videatur. Duo autem stipites corpus et animam designant, quos serpens amplectitur, quia in utroque adhuc quomodo dominatur. Sed ii qui per tramites, id est divina præcepta ascendunt, ubique deorsum serpentem premunt. Sunt etiam in quatuor angulis arcæ quatuor evangelistæ depicti. In frigore orientis leo, ut terreat elatos. In frigore occidentis aquila, ut illuminet cæcos. In calore occidentis vitulus, ut carnem mactet. In calore orientis homo, ut hominem ad originem suam revocet. Per librum vitæ, qui ad aquilonem respicit, ascendunt qui a frigore orientis, et qui a frigore occidentis, et propterea utraque parte a summitate inferioris scalæ intrinsecus manus cum volumine aperte deorsum extenditur, ut quasi a libro vitæ veniens, hinc increpet, hinc erudiat. In uno scripta est increpatio. Væ, væ, væ. In altero scripta est eruditio Judæ. *In principio creavit Deus cælum et terram (Gen. 1)*, secundum quod significatio ascensionum utriusque exigit. Per lignum vitæ ascendunt, qui a calore orientis, et qui a calore occidentis, propterea in utraque parte de summitate inferioris scalæ ramus tenditur deorsum, hinc habens folia, hinc fructum, ut quasi a ligno vitæ veniens hos pascatur, illos obumbret. Virtutes autem contra singulas scalas a latere intrinsecus hoc modo depictæ sunt.

CAP. IX. *Ascensiones ad virtutes a frigore orientis.*

Primum a frigore orientis timor contra volumen nudus ascendit, exuviis superbiæ deorsum abjectis, propter ignem et vermes, qui sub pede scalæ depicti sunt. In secunda scala depingitur dolor, et juxta eum transmigratio Babylonis incipiens a Joachim, et ita oblique descendens usque ad pedem secundæ scalæ, ibique exiens ab arca in Babylonem, cujus situs in mappa mundi ibidem constat. Juxta tertiam scalam amor pingitur quasi una de virginibus cum ardente lampade et vase olei, expectans adventum sponsi. Singulæ autem virtutes, una manu sursum porrecta, gestum ascendentis exprimunt. In hoc etiam differentia attendenda est, quia in scalis ascendunt homines, juxta scalas intrinsecus per campos disponuntur virtutes. In calore occidentis juxta pedem primæ scalæ mulier quædam nuda pubetenus de caverna procedit foliis supradicti rami obumbrata, contra quam a latere inceptor vitiorum ignem de ore et naribus emittit, ad exprimendam concupiscentiam. Paulo altius in eadem scala nudus quidam virgis cæditur, ad exprimendam patientiam. In secunda scala quidam eleemosynam largitur, ad significandam misericordiam. In tertia scala quidam in similitudine orantis pectus tundens describitur, ad compunctionem denotandum. Omnes autem virtutes sursum respicere debent, ut pro humana laude nihil fiat. A frigore occidentis juxta pedem primæ scalæ quidam de caverna obvoluta facie



prodiens corrumpit, et in lapidem offendens, vas quod portat confringit, ad exprimendam ignorantiam, quæ per varios errores animæ integritatem dissipat. Post hæc in eadem scala cognitio erecta pingitur contra volumen, quod deorsum extenta manu porrigitur, et juxta eam fragmenta vasis. In hoc volumine, sicut diximus, scriptum est: *In principio fecit Deus cælum et terram* (Gen. 1), quia primo cognitio Dei in creaturis est. In secunda scala meditatio sedens exprimitur, et colligens fragmenta vasis fracti. In tertia scala contemplatio formatur ad similitudinem fabri, conflans eadem fragmenta, ita ut liquefactio per ductum coloris (quem superius juxta versum hujus scalæ sursum porreximus) quasi per fistulam in medium cubitum, quasi in monetam currere videatur. Propter hoc mysterium, quia integritatem animæ, quam ignorantia frangit, cognitio invenit, meditatio colligit, contemplatio per ignem divini amoris liquefaciendo in monetam divinæ similitudinis reformandam fundit.

CAP. X. *Ascensiones a calore et frigore orientis.*

A calore orientis juxta primam scalam pingitur temperantia ad similitudinem patrisfamilias sedentis ad mensam, comedentis et eleemosynam distribuentis, quasi qui licite mundo utatur. In secunda scala pingitur prudentia, in similitudinem peregrini ambulantis quasi qui mundum fugiat. In tertia scala pingitur fortitudo deorsum nube amicta, quasi quæ mundum calcaverit, et in sublime sit elevata sursum erectis manibus. Hoc autem, sicut diximus, observandum est, ut virtutes juxta scalas intrinsecas disponantur, homines autem in scalis per singulos tramites, singuli alternatim viri et femine, ut sint sexaginta fortes Israel et sexaginta reginæ. Repetamus nunc breviter numerum et ordinem supradictarum virtutum. In frigore orientis ascendentibus de superbia prima scala est timor, secunda dolor, tertia amor. In calore occidentis ascendentibus a concupiscentia, prima scala est patientia, secunda misericordia tertia compunctio. In frigore occidentis ascendentibus ab ignorantia prima scala est cognitio sive cogitatio, secunda meditatio, tertia contemplatio. In calore orientis ascendentibus non de vitio, sed per virtutem proficientibus, prima scala est temperantia, secunda prudentia, tertia fortitudo, et ibi consummatio vitæ perfectæ est. Primus ascensus, qui est scilicet a frigore orientis, est in affectibus. Secundus, qui est a calore occidentis, est ex operibus. Tertius, qui est a frigore occidentis, est in cogitationibus. Quartus, qui est a calore orientis, est in virtutibus jam dictis. Multa sunt alia, quæ dici possent de his, quæ necessario nos in hoc loco præterire oportet.

CAP. XI. *De ostio arcæ.*

Ostium autem arcæ taliter disponimus. Quia enim columna Christum significat, qui dicit: *Ego sum ostium* (Joan. x), columna autem propter prædictas causas quasi bis, id est binis lateribus, in arca præsentata est, ideo in utroque latere columnæ, id est in libro vitæ ad aquilonem et ligno

PATROL. CLXXVI.

A vitæ ad austrum deorsum ostium pingimus, et tamen sicut unam columnam utroque latere, ita unum ostium utroque ostio figuramus. Ostium, quod est ad aquilonem, per librum vitæ significat fidem, per quam ab infidelitate ingredimur in Ecclesiam, quod fit per humilitatem Christi, per quam revocati sumus, et hoc ostium clausum esse debet, ut amplius ad antiquos errores non revertamur. Ostium, quod est ad austrum, per lignum vitæ significat transitum ab hac vita ad futuram gloriam, id est ad fructum ligni vitæ. Et hoc ostium apertum est, quia illuc semper oculos mentis dirigere debemus, ut quam primum ab hac miseria exeamus. Aliud etiam quiddam per ostium figuramus. Quia enim ostium deorsum est, et fenestra sursum (quam posuimus supra compunctionem cum extenta manu et columba), ideo ostium congrue designare potest exitum per operationem, et fenestra exitum per cogitationem. Quatuor autem modis eximus per operationem. Omnis namque actio vel terrena est vel spiritualis. Propter cupiditatem terrenis actibus inservire unus modus est, quasi immundum animal. Propter necessitatem eas disponere alius modus est, quasi mundum animal. Propter cupiditatem spirituales actiones tertius modus est suscipere, quasi id faciat malus homo. Propter utilitatem proximi, et laudem Dei, quartus modus est, quasi id bonus homo faciat. Ideo per ostium quatuor animalia exeuntia depinximus, immundum animal asinum, et mundum animal bovem. Bonum hominem Noe, et malum hominem Cham. Bono homini Deus ostium aperit, malus homo inobedienter exiens ex altera parte valvas frangit.

CAP. XII. *Exeundi per cogitationem modi quatuor.*

Similiter per cogitationem quatuor modis eximus. Primus modus est, quando consideramus omnem creaturam quid sit ex se. Secundus modus, quando consideramus omnem creaturam quid sit ex beneficio Creatoris. Tertius modus est, quando consideramus quomodo utatur Deus ministerio creaturarum ad implenda judicia sua. Quartus modus est, quando consideramus quomodo utatur homo beneficio creaturarum ad implenda desideria sua. Ex se sunt omnia vana, et transitoria. Ex beneficio Creatoris perpetua. Dum Deo serviunt, sunt instrumentum justitiæ. Dum homini serviunt, sunt instrumentum concupiscentiæ. Hoc modo corvus exivit, qui cadaver invenit, et in eo resedit. Hæc in eo libro, quem de arca dictavi, plenius cuncta disserui. Tres priores modi ad columbam pertinent, id est ad tria bonarum cogitationum genera, quæ sunt cogitatio, meditatio, contemplatio. Vanitatem cogitamus, justitiam meditamus, perpetuitatem contemplamus.

CAP. XIII. *De sex mansiunculis arcæ ad litteram.*

Nunc de mansiunculis quomodo disponendæ sint videamus. Dicunt nonnulli mansiunculis fuisse quosdam nidos, id est quædam receptacula ad parietem arcæ foris constructa, propter illa animalia, quæ nec semper in arida, nec semper in aqua degere possunt, sed vicissim alternando, nunc

de aqua ad aridam, nunc de arida redeunt ad aquam. Quibus quia toties arca aperiri non potuit, divina providentia actum est, ut ne vel ipsa quidem perirent, foris eis ad parietem arcæ receptacula fierint, quorum aditus semper apertus esset exterius, parietate arcæ integro intrinsecus permanente. Quæ taliter disposita creduntur, ut dum arca aquis superferretur, foris per aquam ascendentibus, aditus eorum per planum occurreret. Horum receptaculorum numerum Scriptura non dicit. Nos tamen ad similitudinem sex civitatum, quæ homicidis in refugium deputatæ sunt (quia ad eandem significationem spectant) sex mansiunculas in arca disposuimus hoc modo. Primum Jordanis fluvius per mediam arcam, id est de uno pariete in alterum juxta latus columnæ desuper ducitur, ad similitudinem baptismi, qui in sancta Ecclesia quasi finis est legis, et initium gratiæ, cujus aqua sanctificationis de latere Christi fluxit. Et quia sex civitatum tres ultra Jordanem, tres citra constituendæ præcipiuntur, nos similitudinem sequentes etiam mansiunculas nostras collocamus, scilicet ultra ceu supra Jordanem tres, id est in superiori parte, et tres citra, id est in parte inferiori arcæ. Prima posita est desuper in fronte arcæ, id est in initio naturalis legis. Secunda et tertia in lege scripta, id est super ripam Jordanis hinc inde. Quarta et quinta, et sexta in tempore gratiæ. Duæ sub apostolis contra duas superiores hinc inde, una in fine arcæ deorsum contra primam. Et ita lex naturalis habet unam, lex scripta habet duas, gratia tres. Quarum mysterium hoc est. Arca significat Ecclesiam, diluvium concupiscentiam mundi hujus. Animalia illa, quæ frequenter de arca ad aquam, et iterum de aqua ad arcam redeunt, infirmos quosque, et carnales in Ecclesia constitutos, qui peccando, sæpe ad concupiscentiam hujus mundi labuntur, quibus tamen remedia poenitentiae quasi quædam mansiunculæ in arca spirituali, id est in sancta Ecclesia præparata sunt. De quibus mansiunculis quasi unam lex naturalis habuit, id est sacrificium. Legi scriptæ duæ addictæ sunt, id est oblatio et purificatio. Gratia autem contra tria carnalia, tria habet spiritualia, confessionem, orationem, carnis afflictionem. Confessio immolat, oratio mundat, carnis afflictio mactat. Post hæc inter legem naturalem et scriptam et utroque latere aperitur, et per illam, quæ est ad Aquilonem, populus captivus ab Hierusalem ducitur in Babylonem. Per illam, quæ est ad austrum, populus de Ægypto liberatus intrat ad terram promissionis tendens. Quod quemadmodum etiam secundum situm locorum competat, in descriptione mappæ mundi postea clarebit, quia Babylon ab Hierusalem est ad aquilonem. Ægyptus ad austrum. Et ideo ab hac porta, qua populus ingreditur deorsum in latere arcæ intrinsecus in ordine scribuntur quadraginta duæ mansiones usque ad ripam Jordanis, per quas populus Dei spiritaliter ab Ægypto naturalis legis per desertum scriptæ legis tendit ad terram promissionis gratiæ.

A CAP. XIV. *De mansionibus quadraginta duobus.*

Mansiones autem hæc sunt: Prima Rameses, secunda Sochet, tertia Etham, quarta Siaroch, quinta Mara, sexta Helim, septima mare Rubrum, octava solitudo Sin, nona Descath, decima Alis, undecima Raphidim, duodecima Sina, decima tertia sepulchra concupiscentiæ, decima quarta Ascereth, decima quinta Rethma, decima sexta Ramoth, decima septima Lemna, decima octava Redsa, decima nona Caltha, vicesima Rapher, vicesima prima Arada, vicesima secunda Marcloth, vicesima tertia Thaath, vicisima quarta Thare, vicisima quinta Mercha, vicesima sexta Asmona, vicisima septima Maceroth, vicesima octava Maveiachan, vicesima nona Galath, trigesima Gethabatha, trigesima prima Ebrona, trigesima secunda Asiongaber, trigesima, tertia Sin, quæ est Cades, trigesima quarta mons Hor, trigesima quinta Selmona, trigesima sexta Finon, tricesima septima Oboth, tricesima octava Gebarin, tricesima nona Dibungath, quadragesima Solmon deblathain. Et quia una de sex mansiunculis super ripam Jordanis in latere primæ mansionis ex hac parte sita est, propterea cum in quadragesima mansionem ad eam ventum fuerit, duæ sequentes desuper scribuntur in secunda mansionem usque itidem ad ripam Jordanis. Sunt autem hæc: quadragesima prima mons Abarim contra Nobo, quadragesima secunda campestris Moab super Jordanem juxta Jericho. De interpretatione autem, et mysterio istarum mansionum in alio fortassis opere, quod de hac eadem arca facere cogitamus, latius quæ dicenda sunt exsequemur; et quare naturalis lex Ægypto, scripta lex deserto, gratia vero terræ promissionis comparetur, et qualis de illa per hanc ad istam transitus habeatur. Hæc ad constructionem arcæ, his qui plura facere aut non valent, aut nolunt sufficere possunt. Adjecimus tamen quædam, quæ breviter commemorabimus. Hoc modo arca perfecta, circumducitur et circulus oblongus, qui ad singula cornua eam contingat, et spatium quod circumferentia ejus includit, est orbis terræ. In hoc spatio mappa mundi depingitur ita ut caput arcæ ad orientem convertatur, et finis ejus occidentem contingat, ut mirabili dispositione ab eodem principe decurrat situs locorum cum ordine temporum, et idem sit finis mundi, qui est finis sæculi. Conus autem ille circuli, qui in capite arcæ prominet ad orientem, Paradisus est, quasi sinus Abrahamæ, ut postea apparebit majestate depicta. Conus alter, qui prominet ad occidentem, habet universalis resurrectionis judicium in dextra electos, in sinistra reprobos. In cujus coni angulo Aquilonari est infernus, quo damnandi cum apostatis spiritibus detrudentur. Post hæc supradicto circulo alter paulo laxior circumducitur, ut quasi zonam videatur efficere, et hoc spatium aer est. In quo spatio secundum quatuor partes mundi quatuor anni tempora disponuntur, ita ut ver sit ad orientem, ad austrum æstas, ad occidentem autumnus, ad aquilonem hiems. Ver pingitur a lumbis sursum puer fistulam manu tenens et cantans. Æstas

juvenis flores aspicit. Autumnus in virili ætate expressus fructus naribus admovet et olfacit. Hiems formam senis gestans fructus comedit. Et omnes a lumbis sursum pinguntur singuli in principiis suis.

CAP. XV. *De proprietate quatuor temporum anni, et conclusione operis.*

Ver habet delectationem aurium, æstas oculorum, autumnus olfaciendi, hiems gustandi; quia oblectamentum pueritiæ in auditu doctrinæ, oblectamentum juventutis in exemplo operis, oblectamentum virilis ætatis in appetitu est probitatis, oblectamentum senectutis in experientia virtutis. Tenent et singuli singulos anni quadrantes. Æstas tenet superiorem, hiems inferiorem, ver dextrum, autumnus sinistrum. Et in singulis quadrantibus extensæ sunt quasi duæ chordæ propter geminam singulorum proprietatem, quibus ad invicem collatis musicum octochordium exprimitur, de quo harmonia concordiæ universalis temperatur. Ver est humidum et calidum. Æstas calida et sicca. Autumnus siccus et frigidus. Hiems frigida et humida. In quibus omnibus multo sermone propter operis compendium supersedebitur. In hoc eodem spatio duodecim venti disponuntur, singulis temporibus terni attributi sub ætherea plaga, quasi deorsum præcipites, et a scapulis prominentes alati sub singulis mensibus singuli ordinati. De his quatuor sunt cardinales, qui singuli duos hinc inde habent suffraganeos. A medio orientis flat subsolanus duos hinc inde habens sibi conspirantes, a dextris vulturnum, a sinistris eurum. A meridie flat auster sive notus, habens a dextris euronotum, qui et euroauster, a sinistris libonotum, qui et austro africanus. A medio occidentis flat zephyrus, qui et favonius habens a dextris africanum qui et libas, a sinistris corum, qui et argentes. A medio septentrionis fiat aparctias, qui et septentrio habens a dextris circium, qui et thracias, et trasceas vel thrascias, a sinistris boream, qui et aquilo. Et principales quidem singuli geminisspirant cordibus suffraganei singuli singulis. Post hæc alius adhuc circulus prædictis duobus exterius circumducitur, et spatium quod includit pro ætherea plaga accipitur. In quo spatio duodecim menses disponuntur secundum ordinem temporum, et mensibus duodecim signa supponuntur, ita ut semper in medio mensis signum incipiat, et econverso mensis in medio signi. Et hæc signa singula desuper triginta gradibus distinguuntur, initio desuper sumpto a primo gradu arietis. Et sic contra mundum in circuitu ordinatis omnibus signis supinatis quidem ad ipsum firmamentum, mensibus autem ab inferiori sursum erectis, ita ut signa quidem sursum versa in ipso circulo, qui a planes dicitur, stare vel ambulare videantur. Menses autem post illa, et sub illis in æthere stantes appareant, sicque in supremo signa, sub signis menses, sub mensibus venti, sub ventis tempora demonstrantur. In qua distributione magna naturæ ratio, effectusque signatur, totusque cœli ambitus sic per perficitur. Hoc modo constructa

machina universitatis in parte ejus superiori majestas a scapulis sursum, pedibusque deorsum eminens, et quasi in solio sedens formatur. Ita ut expansis hic inde brachiis omnia continere videatur. Tribusque digitis per medium extensis usque ab orbem terræ, et cæteris in palmum reflexis cœlos concludit. Et in dextera quidem sua tenet thronum, qui oblique deorsum dependet per aeris spatium, usque supra eum locum ubi in cono inferiori, sicut diximus, ad dextram partem electi resurgunt, quos et angeli ibidem præparati in cœlum suscipiunt. Ideoque in ipso throno scriptum est: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis præparatum est ab initio sæculi (Matth. xxv)*. In sinistra autem sua tenet sceptrum, quod dirigitur deorsum usque ad eum locum, ubi malos ad sinistram resurgentes dæmones obvii rapiunt, et ideo in ipso sceptro scriptum est: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus (ibid.)*. Deinde linea generationis ad Adam sursum extra arcam per medium prominentis coni usque ad cœli verticem extenditur, et in ea per ordinem sex rotulæ circinantur, ita ut novissima ipsius arcæ introitum complecti videatur. Istæ autem sex rotulæ exprimunt opera sex dierum. Prima namque quæ et suprema taliter figurari debet, qualis fuit mundus prima die quando lux creata est. Secunda, quando firmamentum inter aquas et aquas positum est. Tertia, quando aquæ in unum collectæ sunt, et terra germinibus vestita. Quarta, quando sol, et luna, et stellæ factæ sunt. Quinta, quando pisces in aqua, et aves in aere collocati sunt. Sexta, quando bestię factæ sunt in terra et homo. Ut verbum ab ore majestatis exeat, et omnis ordo creaturarum subsequatur, et ipsius arcæ protensio pertingat a principio mundi usque ad finem sæculi, per medium terræ hinc inde habens loca, montes, flumina, castella et oppida constituta, ad austrum Ægyptum, et ad aquilonem Babyloniam. Post hæc circa thronum ex utraque parte, circa medium duo seraphim pinguntur, qui extensis alis sursum et deorsum valant caput majestatis et pedes, facie tamen in tecta manente. Sub alis autem seraphim desuper in eo spatio, quod est inter scapulas majestatis et alas ex utraque parte ordines angelorum constituuntur novem, ad contemplandam faciem majestatis conversi. Ipsa namque summa et vera unitas medium et supremum locum obtinet. Deinde primus ordo angelorum diademat hinc inde binos; secundus ordo hinc inde ternos; tertius ordo hinc inde quaternos; quartus ordo hinc inde quinos; quintus ordo hinc inde senos; sextus ordo hinc inde septenos; septimus ordo hinc inde octonos; octavus ordo hinc inde novenos; nonus ordo hinc inde denos, ut a prima unitate sit origo omnium. Et in secunda unitate consummetur creatio angelorum, qui simul sunt centum et octo. De singulis autem ordinibus singulis labentibus remanent nonaginta novem, quibus homo centesima ovis additur, et superna civitas consummatur. Hæc de arcæ nostræ figuratione dicimus, ut si cullbeat decorum

domus Domini, et mirabilia ejus (quorum non A ctum suum provocet. Sit Deus benedictus per est numerus) intueri, hoc interim exemplari affe- cuncta sæcula sæculorum. Amen.

# DE VANITATE MUNDI

ET

RERUM TRANSEUNTIUM USU

LIBRI QUATUOR,

*In quorum duobus collocutores sianatos inveni singulis litteris D I, quibus doccens et interrogant satis indicantur intelligendi.*

## LIBER PRIMUS

D. O. munde immunde, o munde immunde, quare sic dileximus te? Hicaine est fructus tuus? Hæc promissio tua? Hæc de te spes nostra? Quare in te speravimus? Quare tibi credidimus? Quare de te cogitare voluimus? Ecce quomodo decepti sumus. Nihil reliqui habemus, inanes remansi sumus. O munde immunde, quare sic deleximus te? I. Quid vides, o homo? D. Nihil melius quam fugere. I. Non satis intelligio quid dicere velis: video tamen, sicut iste tuus stupor indicat, quod vel grave aliquid pateris, vel novum vidisti, vel malum moliris. Ne igitur abscondas quidquid illud sit, quia si periculum est, simul liberasti me. Sin autem nullum est periculum, et vane conturbaris, forsitan consolabor te. D. Consurge, et ascende, et aspice mecum, et ostendam tibi mirabilia magna, antiquis vetera, præsentibus nova, et posteriora futuris. I. Quando rem ipsam videro, de qua loqueris, tunc melius fortasse intelligam quid dicere velis. Nunc igitur ostende mihi quo ascendere debeam, ut et ego videre possim mirabilia ista, de quibus tu sic conturbaris. D. Oculus carnis quanto sublimior, et in altiore loco constitutus fuerit, tanto amplius per visionem in latum se diffundit. Facilius quippe desuper in subjecta acie visionis expanditur, quando omnia quodammodo coram posita intuetur; sed hæc quidem eo ipso, per corporis instrumentum emicat, multis ac variis modis nullo etiam foris interveniente obstaculo, in semetipsa caligat. Nam quia angusta est, maxima comprehendere non sufficit; et quia hebes est, minima non discernit, quia autem pigra est, cum in remotissima extenditur etiam si intercurrat, sola tamen spatii longinquitate hebetatur, quia vero perspicax non est, intima quæque non penetrat, sed ea sola, quæ in rerum superficie sunt constituta, oberrat. Sed nec ea quæ præterita sunt respicere, nec ea quæ futura sunt potest providere. Hoc ego dixi, ut scias quantas angustias corporea hæc visio patiat, quæ nisi coram posita intueri non valet. In his quoque, eam et maxima quantitate excedunt, et minima subtili-

B tate fugiunt, et remota longinquitate evadunt, et intima obscuritate subducunt. Nolo igitur ut cogites visionem hujus oculi, quando audis te ad videndum invitari. Habes alium oculum intus multo clariorem isto, qui præterita, præsentia et futura simul respicit, qui suæ visionis lumen et aciem per cuncta diffundit, qui occulta penetrat, subtilia investigat, luce aliena ad videndum non indigens, sed sua ac propria luce prospiciens. Quia igitur ea, quæ tibi demonstraturus sum, carnis oculus simul comprehendere non potest, ad hanc visionem non carnis, sed cordis oculus præparandus est. Constitue igitur te quasi in quadam mentis specula, et ejus aciem in arcam hujus mundi circumquaque lustrandam dirige, ut totus contemplanticoram positus sit mundus, et inde tibi universa demonstrabo, quæ prius vel non visa ignorasti, vel visa non quomodo oportuit, considerasti.

I. Vere nunc fateor, quod nihil universorum aspectui cernentis absconditur, cum cordis oculos studiose ad videndum aperitur. Quando autem carnis oculum ad videndum aperio, quamlibet late cuncta pateant, in comparatione totius minimum est, quod comprehendo. Sed ecce dum conor, quantum valeo, cor sursum erigere, invenio me hucusque non solum corpore, sed corde quoque deorsum fuisse. Nam quanto magis contemplandis quibusdam mundi rebus affectu et cogitatione succubui, tanto ad contemplandam rerum universitatem minus idoneus minusque expeditus fui. Nunc igitur ab his quibus hactenus inhærebam, mentem exuo, et quasi deposito onere levatus sim, cunctis me statim superiorem agnosco. Nescio enim quo pacto mirabili, subito in me hoc factum sit, ut, dum studeo nullis specialiter per cupiditatem inhærere, cunctis incipiam per contemplationem superexcellere. Incipe igitur, quia mundum jam universum eoram me constitutum aspicio, et quidquid ex omnibus mihi demonstrare volueris sine mora ac difficultate videbo. D. Vides igitur mundum istum? I. Video et bene. Nunquam tam bene vidi, quia nunquam tam dili-